

de suo gremio Episcopus Metropolita, non modo liquet ex isto Taurinensi Concilio, sed etiam ex Aquilejensi celebrato sub Pontifice Damaso, anno Christianæ Epochæ 381. cujus extat Synodica epistola sub hac epigraphæ: *Concilium, quod convenit Aquileje, dilectissimis fratribus Episcopis Provincia Viennensium & Narbonensium prima & secunda.*

## CONCILIVM MILEVITANVM

Anni 416.

**S**CITE Baronius admonet, duo fuisse Milevitanæ Concilia in unum a collectoribus confusa: primum anno Christi 402. initio Pontificatus Innocentii, necdum oborta hæresi Pelagiana. Huic præfedit Aurelius Carthaginensis Arcadio & Honorio Augustis quintum Consulibus, ut refert ejusdem præfatio, qua tamen indebitè præfixa est secundo Milevitano Concilio, de quo nunc agimus, & in quo examinata est Pelagii & Cælestii hæresis. Istud vero secundum coactum est anno Christi 416. ultimo Innocentii Pontificatus anno, quo eodem pariter habitum est eadem in causa Concilium Carthaginense, præfidente pariter Aurelio. Autumat Baronius ad istud secundum Milevitanum pertinere anathematismorum contra Pelagianam hæresim canones octo, quos dicit a plenario deinde Concilio Africanorum Episcoporum Carthagine celebrato non editos de novo, sed ex Milevitano isto eductos ac infrautos. Nos vero indiscriminatim quotquot in eo coacturati reperuntur canones, sive ibi editos, sive aliis ex Africanis Synodis transumptos, & huc translatos prosequemur. Huic præfedit Milevitano Silvanus Numidiæ Primas, eique interfuit Augustinus. Constat ex ejus secunda Milevitanæ epistola ad Innocentium Papam, quæ non modo isti Concilio subjicitur, sed etiam inter Augustini epistolæ legitur inserta numero 92. Concilio isti nec interfuisse, nec præfuisse Aurelium Carthaginensem totius Africa Primate, quamvis interloquatur in canonibus huic Synodo attributis, censeturque in subscriptione primus, sed isti canones ex aliis hausti sunt Africanis Conciliis; subscriptio vero spuria & commentitia est, quemadmodum & ultima periodus appositæ isti Concilio præfationis, qua mentio injicitur hæresis Pelagianæ: præloquium enim illud alterius Concilii est, cujus tempore nondum ista hæresis prodierat aut innovauerat. Itaque interpolator aliquis, sive per inscientiam, sive per malam fidem Concilium istud vitiauerat, tum in prologorum corpore ipso, tum in subscriptione. Majorque adhibenda est fides inscriptioni Episcoporum circiter sexaginta hujus Concilii scribentium ad Innocentium Papam, in quibus nec recensentur Aurelius Carthaginensis, nec Donatianus Telesentis primæ sedis indigitatus in supposititia illa subscriptione, sed primus secundum rei veritatem, qui Concilio isti præfedit, atque ita prior ceteris subscripsisse debuit, est Silvanus senex, quæ senectutis commemoratio titulo equivalet Primatis alicujus in Africa regionis, juxta Africanam consuetudinem. Excepto enim Carthaginensi Episcopo, cui constanter affixus erat universæ Africa Primatus, singulæ Africae regiones non alium agnoscebant particularem, seu secundi ordinis Primate, quam illum qui prior ceteris fuisset consecratus Episcopus. Augustinus autem Hipponensis, qui tertius simulque postremus in falsa illa Concilii subscriptione, non nisi octavus recensetur in Synodica epistola ad Innocentium Papam conscripta. Sed de his satis: nunc perscrutandi canones octo, quos istud Concilium erroribus opposuit Pelagianorum.

Can. I. *Placuit ergo omnibus Episcopis, qui fuerunt in hac sancta Synodo, constituere hæc que in presenti Concilio definita sunt. Ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moveretur in corpore, hoc est, de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate nature, anathema sit.*

Non inficiatur Synodus primos parentes, quamvis in primæva innocentia perseverassent, habuisse in seipsis principia mortalitatis, adversarias nimirum elementorum & humorum, ex quibus constituitur humanum corpus, qualitates, & innati caloris primogenium humorem depascens, & ipsam corporis materiem cujus est natura mutabilis; his adjuget innumeratas ab extrinseco destructionis causas, quibus nostra est obnoxia conditio corporalis. Veruntamen hominem ab initio innocentem Deus supernaturali præsidio conservasset incolumem & inviolatum, atque singulari providentia do-

lorum mortisque reddidisset expertem ac immunem: Ut verissime dicat Apostolus Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Can. II. *Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negant, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vere, sed falso intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in seipsis committere poterunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

Can. III. *Item placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per JESUM Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, que jam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur, anathema sit.*

Can. IV. *Item si quis dixerit, eandem gratiam per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus: Scientia inflat, caritas autem edificat, valde impium est, ut credamus ad eam que inflat, nos habere gratiam Christi; ad eam que edificat, non habere: cum sit utrumque donum Dei, & scire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus, ut edificant caritate scientia inflare non possit. Sicut autem de Deo scriptum est: Qui docet hominem scientiam; ita etiam scriptum est: Caritas ex DEO est.*

Can. V. *Item placuit, ut quicumque dixerit, ideo gratiam justificationis nobis dari, ut quod facere per liberum arbitrium jubemur, facilius implere valeamus per gratiam: tamquam etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possibilem etiam sine illa implere Divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere; sed ait: Sine me nihil potestis facere.*

Can. VI. *Item placuit, quod ait sanctus Joannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; quisquis se accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adjungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est Dominus, & justus, qui remittat peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate. Ubi satis apparet, hoc non tantum similiter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est; sed cum ait: Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est; satis ostendit, eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.*

Can. VII. *Item placuit, ut quicumque dixerit, in Oratione Dominica ideo dicere Sanctos: Dimitte nobis debita nostra, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria petitiio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra; ut hoc pro aliis potius quam pro se justius petere intelligatur; anathema sit. Sanctus enim & justus erat Apostolus Jacobus, cum dicebat: In multis enim offendimus omnes. Nam quare additum est, omnes, nisi ut omnibus ista sententia conveniret? Et Psalmo ubi dicitur: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et in oratione Sapientissimi Salomonis: Non est homo qui non peccet. Et in libro Job: In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam. Unde etiam Daniel sanctus & justus, cum in oratione pluraliter diceret: Peccavimus, iniquitatem fecimus, & cetera que ibi veraciter & humiliter confiteretur; ne putaretur, quemadmodum aliqui sentiunt, hæc non de suis, sed populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: Cum orarem, & confiterer peccata mea & peccata populi mei Domino Deo nostro; noluit dicere peccata nostra, sed & populi sui dixit, & sua; quia futuros istos, qui tam male intelligerent, tamquam propheta prævidit.*

3. Can. VIII.

## Concilium Milevitanum anni 398.

137

vocabantur. Canoni isti 16. conformis est canon 64. Concilii dicti Africani, quod est Canonum Africanorum collectio.

Can. XVII. *Placuit, ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibi reconcilientur. Quod si contempserint, ad penitentiam redigantur. In qua causa legem Imperialem petendam promulgari.*

Iisdem verbis reperitur in Concilio dicto Africano can. 69. & apud Gratianum 23. quæst. 7. c. placuit ut secundum. Fundatur autem Matth. 5. v. 32. Matth. 19. v. 9. Matth. 10. v. 11. Luc. 16. v. 18. 1. Cor. 7. v. 10. 11.

Can. XVIII. *Placuit, ut quicumque non communicat in provincia propria, & in aliis provinciis, vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, jacturam communionis & clericatus accipiat.*

Habetur Conc. Afric. c. 72. & Codic. can. Afric. c. 105.

Can. XIX. *Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur. Si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulerit nihil ei obstat.*

Conc. Afric. c. 71. & Cod. Can. Afric. c. 104. & in Decreto, 11. qu. 3. c. placuit ut quicumque ab Imperatore.

Can. XX. *Placuit, ut quicumque clericus propter necessitatem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab Episcopo accipiat: Quod si sine formata voluerit pergere, a communione removeatur.*

Conc. Afric. c. 73. & Coll. can. Afric. c. 106.

Can. XXI. *Item placuit, ut quicumque Episcopi quascunque Ecclesias vel plebes, quas ad suam Cathedram astimant pertinere, non ita repetierint, ut causas suas Episcopis judicantibus agant, sed alio renitente irruerint, sive volentibus, sive nolentibus plebibus, causa sue detrimentum patiantur.*

Conc. Afric. 87. Cod. coll. can. Afric. c. 120.

Can. XXII. *Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores clerici, in causis quas habuerint, si de iudiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quidquid id est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum suarum. Ad transmarinam autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communione suscipiatur.*

Conc. Afric. c. 92. Cod. col. can. Afric. 125. & apud Gratian. 2. qu. 6. c. placuit ut Presbyteri. Severinus Boninus ad hunc Milevitanum canonem, Gratianum coarguit ob istam quam attexit exceptionem: *Nisi forte Romanam sedem appellaverint.* Quo enim Africani trans mare appellantes appellarent nisi Romanam sedem? Sed hoc advertendum, canone isto solos exprimi Presbyteros, Diaconos, vel inferiores his Clericos, quod indicium est Episcopis non fuisse absolute interdictis transmarinas, seu (quod idem est) ad Apostolicam sedem appellationes. Itaque nullatenus adversatur canon Milevitanus canoni 7. Concilii generalis Sardicenis, quod attinet ad provocantes Episcopos ad Apostolicum tribunal: Ipseque Augustinus, qui multis Africanis Conciliis interfuit, testatum reddit, Africanis Episcopis ultra mare ad Romanum iudicium appellare concessum; Clericis vero minoribus id prohibitum esse, ut liquet ex ejus epist. 162.

5. Can. XXVI. *Item placuit, ut quicumque Episcoporum necessitate penitentis pudicitie virginis (cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si alio etiam mortis scrupulo periculo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his quorum ad curam pertinet) velaverit virginem, seu velavit intra viginti quinque annos aetatis, non ei obstat Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.*

Concilium cujus in isto canone fit mentio, est ipsum tertium Carthaginense sub Siricio Pontifice, quod ita decernit can. 4. *Item placuit ut ante viginti quinque annos*

nos